



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Claudii Fleury, Presbyteri, Prioris Argenteliae Et Reg.
Christianiss. A Confessionibus Institutiones Juris
Ecclesiastici**

Fleury, Claude


Moguntiae, 1760

XV. De episcopatis vel erigendis, vel supprimendis, itemque de episcopis
nomine talibus, & de coadjutoribus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67899](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67899)

Nam in Ecclesiam Latinam sæculo demum VI. irrepsit, quod Papæ quibusdam Episcopis, veluti singularis gratiæ tesseram, contulerunt¹. Sed inde ab aliquot sæculis omnibus Archiepiscopis commune redditum est, *dist. 100.* semper tamen Roma petendum; nec ante ejus impetrationem quisquam Archiepiscopali munere fungi potest.

1) THOMASS. *discipl. part. 2. l. 1. c. 24. 25. 26.*



C A P. XV.

DE EPISCOPATIBUS VEL ERIGENDIS VEL SUPPRIMENDIS, ITEMQUE DE EPISCOPIS NOMINE TALIBUS ET DE COADJUTORIBUS.

I.

*Ecclesie
plantata
a vicinis
Episco-
pis.*

INTER populos recens ad Christianam fidem conversos Episcopi fuere sine metropolitanis, donec Christianorum numerus ita augetur, ut pluribus Episcopatibus institutis, formari posset provincia quædam Ecclesiastica¹. Principio viciniore Episcopi sponte munus illud fidem propagandi sibi sumserunt: quibus celsantibus, superiores id curarunt, & inde a sæculo IX. & X. Pontificis auctoritas præcipue accessit. Unde Anglia, Germania & regna septentrionalia, in quibus isto ævo plantata est Ecclesia, peculiari nexu obstricta erant, ante novissimas hæreses, Episcopo Romano².

1) THOMASS. *disc. part. 2. l. 1. c. 11.*

GREGOR. *l. 5. ep. 58. 59.*

2) ZACHARIAE *ad Bonifac. ep. 1. 4. 6.*

II. JURE veteri provincialis concilii & Episcopatus a
decreto Institui potuere Episcopatus & metro-^{scopatus a}
poles¹. Sed ex quo spuria decretales recep-^{Papa fun-}
tae sunt, nihil horum fit sine auctoritate Pa-^{dandi.}
pa: ubi tamen semper aliquid dandum Epi-
scopis, quorum dioceses minuuntur; Metro-
politans, quibus suffraganeus datur; nec non
novae dioceseos clero & populo; regi quoque &
aliis territoriorum dominis. Metropoles olim
rariores, ob majestatem urbium, quae pede-
tentim angustiores sunt redditae, multiplicatae
fuerunt, nullo numeri Episcoporum in pro-
vincia respectu habito. Sic Parisiensis Eccle-
sia an. 1622. Metropolis facta est. Contra
nonnumquam tituli Ecclesiarum, vel bello vel
aliis calamitatibus desolataram, supprimendi
videbantur, quod in Italia potissimum laben-
te imperio accidit. Nonnumquam duae dioc-
ceses conjunctae, vel Episcopalis sedes in aliam
urbem translatae: quod eodem auctore ac mo-
do, quo Episcopatus instituuntur, fieri debet².

1) *Cod. Afric. c. 98.* 2) *Gregor. l. 1. ep. 76.*
l. 2. ep. 13.

III. TERRAE Christianorum ab in-^{Vastata-}
fidelibus occupatae & civitates desolatae non il-^{rum civi-}
lico amiserunt Episcopos, qui saepe vel in reli-^{ratum}
qua diocesi vel in vicinis urbibus perstite-^{Episcopi}
runt, pristinum titulum conservantes. Hinc
licet Antiochia vix memorabilis sit & Alexan-
dria prope in nihilum redierit, patriarchae

tamen, qui harum civitatum titulis utantur, supersunt, Memphi vel alibi, ubi Christiani tolerantur, habitantes. Et quum Christiani orientales abhinc MCC. annis in varias sectas discesserint, harum unaquæque suos habet Patriarchas, suos Episcopos. Unde plures videas, qui ejusdem civitatis dicantur Episcopi.

nomine
tenus su-
persunt.

IV. LATINI quum *terram sanctam* recuperassent, his omnibus suæ Ecclesiæ addiderunt *Patriarchas & Episcopos*. Non enim pastores agnoscere potuerunt hæreticos illos & schismaticos, qui ne catholicos quidem admitterent, lingua & ritibus discrepantes. Auctore itaque Papa latinum Patriarcham *Antiochia*, latinum *Hierosolymæ*, Latinos aliis locis dederunt Archiepiscopos & Episcopos; quod etiam post expugnatam Constantinopolin in Græcia fecerunt. Quibus regnis amissis, spe recuperandi ablata Episcopi æque ac principes titulos illos retinuerunt, licet vel Romam sese vel in patriam recepissent.

& vocan-
tur Epi-
scopi in
partibus.

V. UT autem haberent, quo vitam & decus Episcopale sustentare possent, Papa vel annuas pensiones, vel *beneficia simplicia*, vel Episcopatus iis contulit; titulo tamen honorificentiori semper utentibus. Sic tempus fuit, quo idem esset *Alexandrinus patriarcha & Bituricensis Archiepiscopus*; cui Alexandria titulum; Bituricum præbuit titulum. Si quis ex his decessisset, alius eodem titulo ornatus est, cujusmodi Episcopi *in partibus infidelium* post etiam creati, quam omnis recuperandi terras

illas spes decollavit. Horum titulorum usus id commodi habere videbatur, ut Episcopi ordinari possent *sine Episcopatibus*, veluti nuntii apostolici, vicarii Apostolici inter hæreticos vel in missionibus longinquis degentes, coadjutores, suffraganei, h. e. ii, qui Episcopi ordinarii munere fungi solent, veluti in Germania, ubi electores Ecclesiastici & ceteri Episcopi, quoniam *principes* sunt, plerumque hujusmodi Episcopos *in partibus* alunt, qui eorum vices gerant. Adpellantur autem *suffraganei*, quia apud Græcos, hujus vitii auctores, Archiepiscopi vices suas commiserunt *suffraganeis* suæ quilibet provinciæ.

VI. FIRMA tamen est regula, in una-
quaque diœcesi non plures uno esse posse Episcopos, ad indicandam ac tuendam unitatem Ecclesiæ¹; quæ licet ob vastitatem in plures sit divisa greges; quilibet tamen grex non nisi unum ducem habet, eumque capiti Ecclesiæ universalis subjectum. Si in una diœcesi duæ nationes, lingua rituque diversæ, habitant, non duobus propterea Episcopis opus est. Potest enim Episcopus v. gr. Latinus Græcis dare vicarium generalem Græcum, qui functionibus vacet, quæ presbytero committi possunt². Hoc contigit sæpius durante bello sacro, ac etiamnum contingit in iis regnis, ubi diœceses ad plures nationes protenduntur.

Unus
tantum
in singulis
diœcesi-
bus Epi-
scopus.

1) *Can. Nicæn. 8.* 2) *c. 14. X. de offic. jud. ord.*

VII. SI Episcopus vel senio confectus vel ob aliam infirmitatem officio suo fungi ne-

Coadju-
tor quan-
do, qui-

bus, & a
quo de-
tur?

quit; expellendus non est, sed *Coadjutore* dato sublevandus¹. Principio presbyter ad hoc datus est, quem Episcopum fecere, cum spe succedendi Episcopo ægrotanti². Nunc vero ut functiones Episcopales exercere possit, ornatur titulo quopiam *in partibus*. Potestas ejus finitur cum vita Episcopi, nisi cum spe succedendi datus sit. Olim metropolitanus in concilio provincialium *coadjutores* dedit; jure novo, solus *Papa*.

1) *Concil. Meld. c. 47.* 2) THOMASS. *disc. parz. 1. l. 1. c. 42. C. 7. qu. 1. c. 1. & 17.*

non ab
ipso Epi-
scopo.

VIII. REGULARITER Episcopo viventi successor non datur; nec ipse sibi successorem dare potest, præsertim agnatum vel cognatum: quum regimen Ecclesiasticum non sit in patrimonio, nec certis familiis hæreditarium¹. Si tamen Episcopus integræ vitæ procul affectibus dignum hominem elegerit, merito id attendendum foret. Sic Augustinus *ep. 807.* successorem præoptavit Heraclium presbyterum, quem post mortem AUGUSTINI, quod populus consensisset, confirmarunt Episcopi. Sic Zacharias Papa *ep. 62.* Bonifacio veniam dedit, designandi sibi successorem in sede Moguntina. Novissimis temporibus Papa sæpe dedit coadjutores cum certa spe succedendi, neque fere aliter coadjutores dari solent; quum tamen concilium Tridentinum *sess. 25. c. 7. in fin.* prohibuerit, ne id fieret sine causæ cognitione, ac nisi persona data sit dignissima. In Francia regis nominatione opus est his æque ac Episcopis.

Hinc etiam sine nova *nominacione* & nova *confirmacione* succedunt defuncto Episcopo .

1) C. 7. q. 1. c. 5. & 6.



C A P. X V I.

DE TRANSLATIONE ET RESIGNATIONE EPISCOPORUM, ITEMQUE DE SEDE VACANTE.

I.

EPISCOPUM decet Ecclesie suae veluti maritum uxori, patrem familiae, semper esse affixum: quod presbyteris quoque & aliis clericis praecipuum est^r. Cura enim animarum non est actio desultatoria, sed continuum laborem exposcit in docendo, corrigendo & perficiendo. Tempore opus est ad conciliandam fiduciam, ad bona opera ostendenda, ad vitae morumque probitatem uniformem servandam. Suus cuique pastori scopus; sua cuique agendi ratio peculiaris est: & grex mutatione illa semper ad prima principia rejicitur. Interim jam inde a saeculo IV. Arianii ac ceteri haeretici Ecclesias suas saepe cum aliis commutarunt, vel propria ambitione ducti, vel ab asseclis suis ad digniores sedes evecti.

Episcoporum translationes

1) THOMASS. *disc. part. 1. l. 2. c. 25. part. 2. l. 2. c. 44. can. Apost. 14. can. Nicæn. 15.*

II. QUA de causa concilium Nicænum c. 15. Episcoporum, presbyterorum & diaconorum translationes prohibuit, irritas declaravit, voluitque, ut translati reverterentur.

ex gravibus causis prohibita,